4

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS

DE

MORBIS RESPIRATIONIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum examini subjicit

LAURENTIUS B. NELIGAN,

HIBERNUS;

Soc. Naturæ Studiosorum et Chemicæ Edinb. Soc.

Ad diem 24 Junii, horâ locoque solitis.

Neque quærendum esse quomodo spiremus, sed quid gravem tardumque spiritum expediat. AUL. CORN. CELSUS. lib. I.

Tantum enim prodest scientia medica quantum ad bona remedia bonamque curationem perducat. GREGORY Conspect. Med.Theoret.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1805.

VIRO REVERENDO

FRIDERICO NELIGAN,

CASSILIÆ IN HIBERNIA

L. B. NELIGAN

S.

Quæ causa mihi sit, amice spectatissime, optime et charissime pater, hasce pagellas tibi commendandi paucis dicam. Omnes qui sese student ad summos rei medicæ honores in hac Academia illustri efferre, ac potestatem ex ea Medicinam legitime faciendi impetrare, ejus leges requirunt ut, periculis privatis peractis, specimen aliquod suorum in studiis progressuum in lucem proferrent. Ego, huic obsecuturus mandato, hunc feci libellum, et eum ipsum tibi cum summa voluntate nunc dedico, ideo quod nullum officii sentiam a me præteriri oportet, quo aliqua saltem fieret animi vere grati significatio. Multum tamen ejus me pœnitet, quod nihil habeam tibi offerre tuis erga me beneficiis dignius; nec facile erit eam magnitudinem observantiæ invenire quæ tot tantisque favoribus respondere possit. Te ornatum ex virtutibus tuis Deus Opt. Max. diu servet. Vale! ac hoc, quantulumcunque, monimentum et pignus, amoris, amicitiæ, gratiæque a filio devinctissimo humaniter accipe.

Dabam ex Academia Edinburgensi,
die Junii XV. A. S. H. MDCCCV.

LAURENTII B. NELIGAN

DE

MORBIS RESPIRATIONIS

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS.

Cum primum animum ad scribendum de materia medicinali, necessitate coactus, appuli, rem haud omnino inutilem fore credidi, si id mihi negotii darem morbos ut exponeret, quam fecissem dissertationem, eos qui respirationem gentis humanæ maxime et gravius afficiant. Facturusne tamen operæ pretium sim non adhuc pro certo dicere ausim; quo enim magis propositum meum in mente revolvo, eo magis mihi persuadetur, quod dissertatio hujus instar non admittere tractationem plenam tantorum tam-

que numerosorum morborum possit. Minime igitur mirandum sit si quam maxime generales viderentur observationes quas hic de his morbis comprehendat libellus, quoniam fere omnium indicia notatu maxime digna, causas, quatenus ad curationem aliquid conferant, et naturas medendi ab auctoritatibus optimis approbatas, mea atque observatione confirmatas, demonstrare conabor, et satis, ut spem habeo, ad cognoscendum perspicua reddam. Quantus in ullo hujuscemodi tentamine sit usus, quantumque ponderis, dicere non volo, nec si velim necesse esset; nemo enim ignorare potest, qui vel minime medicinæ operam dederit, quod omnium functionum, quibus, ad vita perfruendum tam necessariis, corpus humanum instruxit Natura, nulla attentionem medici magis sibi flagitat quam respiratio, quippe qua nulla frequentius male se habet, nullius ingentium periculorum magis plenæ, vitæque hominum magis inimicæ, sunt affectiones.

Ante

Ante vero quam de ejus morbis dicam ea, quæ dicenda in hac dissertatione arbitror, res postulare videtur modos quibus perficitur respiratio exponere, et quæ homines de ejus in corpore animali usibus censent attingere; et hæc quam paucissimis potero nunc absolvam.

Respiratio ex duplice constat motu, inspiratione nempe et expiratione, quarum alia aër in pulmonem recipitur, altera ex pulmone vicissim expellitur. Actiones quibus hi motus perficiantur multum voluntati parent, ut illorum variatione in loquela, cantu, et similibus, satis evidens sit, tamen plerumque inscio homine, et, si nimis diu protrahantur, citra voluntatem, vel etiam contra nitente homine, iterantur.

Eorum hæc conditio est, Sub inspirationem thorax ampliatur partim διάφραγματος, seu septi transversi, (musculi viribus magnis præditi in imo thorace positi,) contractione, qua a concavo, quod statu relaxato versus cavum abdominis

minis facit, ad planum ejus centrum attrahit; partim musculis inter costas sitis costas ob contractionem elevantibus; dum os sterni elevatur, vel potius protruditur. Actionibus nunc recensitis invitare videntur necessitas quædam natura ad rem tam necesariam instituta, quæ hominem ad spiritum ducendum cogit, musculosque, qui respirationi inserviunt, in contractionem ciet; et aër, qui instar omnium corporum fluidorum cavernas omnes implet, in pulmonem irruens, et illum distendens. His viribus, aut simul junctis, aut, ut res postulet, partim segregatis, thorax quoquoversum amplior, scilicet longior, latior, profundior, fit: spiritus trahitur. Ad inspirationem autem validam, difficilem, aut morbidam, alii quoque musculi in auxilium vocantur, quotquot nimirum costas elevare possint.

Thorace sic amplificato, inspiratione facta, relaxantur septum transversum et alii musculi qui ad actionem citi sunt: costæ, partim ex pondere,

dere, partim vi resiliendi cartilaginum et ligamentorum illis nexorum, descendunt; fibræ musculosæ ramulorum asperae arteriæ contrahunt; et sic aër expellitur, thorax minuitur, expiratur. His actionibus favent præterea illa lex corporis animalis, qua instituitur quod omnis musculorum contractio, sana parte, relaxatione sequeretur, et *mediastinum*, contractione septi tranversi distractum, hoc septum vi sua renitendi sursum invitans. Ad expirationem autem validam, abnormem, alii quoque musculi in contractionem cientur, omnes scilicet qui costas deprimere possint: dum musculi abdominis aut voluntati aut necessitudini parentes, sese contrahunt, et res in superiore abdominis parte contentas in septum transversum impellunt.

Quod ad usus respirationis attinet, hic primum unum considerandum est, si aliquid ad circuitum sanguinis per pulmonem expediendum afferat hæc functio. Ex tempore illius, qui pater nostræ artis salutatur, ad hoc usque nostrum,

nostrum, nunquam defuissent qui, et maxima ex parte medici nominis gravissimi, in spinarum medicinae, vel potius *physiologiæ*, enodatione expertissimi, existimavere respirationem, nunc sub inspirationem expedire, nunc sub expirationem sanguinis transitum per pulmonem impedire. Mihi multo minore imperio valere in ejus transitu quam ii sibimet persuasere videtur, et in nostra ætate illi sunt quibus asserere placet illum usque retardare. Pulmo certe dum collapsus, ut in fœtu, et partim in homine adulto sub expirationem, nam partibus quibus in contactu est premitur, tantam sanguinis copiam, quantam illi ventriculus dexter cordis immittat, libere recipere nequit, vel sanguinem quem antea recepit cordi iterum reddere. In fœtu igitur, cui pulmo nunquam, dum in utero, distenditur, iter aliud huic sanguini dedit natura, sed hoc in adulto homine occludit. Huic ideo sub expirationem sanguis in pulmone accumulari videretur; nec sub inspirationem multo melius res sese habeat: nam quanquam tunc temporis ma-

jor

jor recipiatur in pulmonem sanguinis copia, male tamen per eum transit propter ramulos vasorum pulmonis cellulis ejus aëre distentis compressos. Hinc ingratus sensus, ad dolorem breviter crescens, adest, si spiritum nostrum intercludere conamur post expirationem vel inspirationem communem. Quæ cum ita sint, haud difficile explanatu erit quod pulmo, neque dum comprimitur neque distenditur, sanguinem libere vel accipiat vel transmittat; et forsan liberius accipiat et transmittat dum in statu inter hos medio est.

Alios respirationis usus hoc multo clariores ex ejus effectibus discimus. Per inspirationem aëra admittit purum, scilicet ex debitis partibus *gasis oxygenosi gasisque azotici* et parvulo *gasis acidi carbonici* compositum, pulmo: sed aër impurus ex *gasis acidi carbonici* vi magna, *gasis azotici* pristina prope quantitate, cum vapore aquoso multo, sed parvulo *gasis oxygenosi*, sub expirationem e pulmone emergit. Ideo aër,

antea

antea flammae et vitæ animali columen, nunc illis exitio est.

Sanguis, posteaquam per arterias in omne corpus diffundatur, et omnibus ejus usibus inservisset, per venas ad *auriculam* (ut vocant) cordis dextram reducitur, cum chylo et lympha miscetur, et in pulmonem colore subniger immittitur; sed post ejus per illum circuitum, colore rubens ad cor iterum redit.

Unam et eandem habere communiter causam efficientem hæ existimantur mutationes binæ, aëris puta et sanguinis. Quanquam hanc causam, antea omnino opertam et obscuritate involutam, multum illustravere novæ in scientia *chemica* patefactiones, nihilominus fateri oportet, plurimum adhuc requiri ut accurationem debitam attingat. Illius enim plenam et absolutam nemo adhuc consequebatur explicationem, et non etiam inter hos tantos viros qui *chemiam*, (illam scientiam luculentam atque perpulchram,

quæ

quæ novas dat leges philosophiæ ipsæ, et sine cujus auxilio omnino manca esset medicina,) ex tenebris eripiendo, augendo, locupletando, gloriam famamque immortalem adepti sunt, non convenit quo pacto hæ effici possint mutationes. Alii autumant *gas oxygenosum* aëris cum *hydro-carbone*, quem sanguis venofus habet, conjungere, et *gas acidum carbonicum* vaporemque aquosum tali conjunctione formata effugere, et sic sanguinis et aëris qualitates mutare; alii, *oxygenum* forma aëris cum ejus *calorico* exuens, sanguine ipso conjungere, dum ejus *caloricum* cum *hydro-carbone* conjungit et cum illo vaporem et *gas acidum carbonicum* format; aliisque placet dicere utraque hac via quodammodo conjuncta effici, et hos ut sequar potius inclinat animus, quanquam praeterea puto quod maxima pars vaporis ex vasibus minimis extremis pulmonis exhalat.

Usus harum mutationum sit, vel ut aliquid corporibus nostris noxium emergat, vel aliquid

utile recipiatur; vel, si postremae credamus opinioni, ut simul aliquid noxium emergat atque aliquid utile recipiatur, et sic sanguis aptus ad cor et arterias in actionem excitandum, usibusque ejus aliis ubique corporis inserviendum, formaretur.

Respiratio etiam fons esse videretur animalibus caloris, vel illius facultatis quæ omni animali, salva sanitate, inest, seipsum ad unam mediam caloris temperiem servandi, quamvis temperies aëris externi ad calorem vel frigus (ut populariter loquimur) varia fuerit. In hoc explicando multum etiam subest noctis; multæ enim, et quidem diversissimæ naturæ conjecturæ, et ante et post nova in *chemia* lumina, ad ejus explicationem fuissent propositæ, atque alias aliud de illo judicavissent philosophi prout leges philosophandi de actionibus vitalibus variaverint; quocirca modo fermentatione *chemica*, modo frictione *mechanica*, illud explicare conati fuerint, et in nostra ætate idem mutationibus *chemicis* ascribunt.

Ut

Ut in disceptationibus illis nosmet irretiremus a nostro proposito omnino alienum est, sat igitur sit conjecturam si exponerem viri ingeniosissimi et medici Crawford. Me haud pœnitet ejus sententiæ esse, idcirco quod, si non omnino perfecta sit, omnes quas apud alios auctores invenio sententias, ut puto, perfectione excedit, et nos in dubio relinquit an ejus auctoris solertiam, an diligentiam ac industriam, magis admiraremur. Ille ab experimentis haud parum multis coëgit sanguinem arteriosum majorem habere facultatem caloris elementum (*caloricum* nunc vocant) recipiendi sanguine venoso, *gas oxygenosum* majorem *gase azotico* et vapore, (quos ad formandos contribuere credidit) conjunctis: itaque pro hac facultate *caloricum* suum invicem in pulmone mutare putavit, dum *caloricum* quod ita in sanguine arterioso latens existit, liberum et sensibus evidens in circuitus cursu gradatim fit, prout hic sanguis ejus natura exuat, naturamque sanguinis venosi induat.

Alii autumant contra, et argumentis nec inanibus nec futilibus cogere volunt, *caloricum* aliis mutationibus per omne corpus extricari, et ex pulmone per expirationem emergere. Cæterum hujus ac aliarum de hac re opinionum fides penes auctores suos erit.

Proximum est de morbis nunc agere, vel ad rem propositam perventum est. Patet maximum respirationem inter et alias functiones, totumque denique corpus, intercedere connexum; his igitur læsis, vel alia atque alia ratione male se habentibus, vitia, prout plus minus generalia fuerint, illa participabit. Hac de causa plurimis morbis, cum eorum qui in febre sunt, tum quoque multorum sine febre, afficitur respiratio vel levius vel gravius, velut tussi, singultu, fletu vel risu immodico, et similibus. Quinetiam, si quando spiritus difficilius, laboriose, et cum dolore, trahitur, a quacunque causa oriatur, *Dyspnœam* vocant auctores medici. Hanc tamen, quoniam signum morborum solummodo est, et

comes

comes multorum ex morbis de quibus protinus nostra sermo erit, pariter ac affectiones supra dictas, præteribo.

Respiratio in ejus functione impediatur, vel omnino cesset. Morbi qui illam gravius impediunt, et igitur sub nostra deliberatione cadunt, ex affectionibus partium quæ ejus actionibus spectant oriuntur; omnino intercluditur spiritus propter aëra ex pulmone exclusum aut aëra mephitibus onustum in pulmonem receptum. Priores morbi sunt vel acuti seu in febre, vel vetusti et sine febre; illis referantur *Tussis* seu *Catarrhus*, *Cynanche*, *Pneumonia*, *Phthisis*, *Hæmoptysis*; his *Hydrothorax*, *Pertussis*, *Asthma*. Ita ex ordine illos tractavero morbos, sed oportebit ut ab serie exposita aliquantulum digrediar, quoniam pertussim a catarrho disjungere, quippe utrique idem indicium maxime notabile, tussis nimirum, communis existit, mihi nequaquam fas esset; ideo de pertussi inter morbos qui rectius

tius in febre sunt, et proxime ad catarrhum, verba faciam.

Tussis est vehemens, sonora, plena, aëris e pulmone expulsio, inspiratione plena antecessa, citra voluntatem plerumque excitata, voluntati tamen semper excitabilis. Sæpissme excitatur quovis irritamento *chemico* vel *mechanico* alicui parti asperæ arteriæ admoto, quod musculos respirationis, consensu partium, ad id ipsum expellendum in motum *convulsivum* ciet, dum aër per *glottidem* plus minusve constrictam reverberans sonum dat. Nunc igitur motus sit apprime salutaris et ad periculum evitandum excitatus, nunc autem est vel ipsa morbus, vel morborum aliorum concitator, vel, quod postea clarius reddetur, plurimis morbis comitem se jungit molestam, sæpe morbo ipso magis vexantem.

Inter notissimos morbos is est qui Catarrhus, quique gravedo nominatur, et quem κατ' εξοχην

ἐξοχὴν tussim alii vocant. Notæ sunt tussis molesta et frequens, febris plerumque lenis, et distillatio humoris ex naribus, faucibus, et ramulis asperæ arteriæ. Caput etiam sæpe leniter dolet, gravitas ejus sentitur, frequentia aliquando sternutamenta sunt. Tunc catarrhus simplex est; sed si his notis accedit debilitas in primo morbi accessu summa, cujus vehementia multos vitam cum morte commutare facit, atque febris *typhodes*, et pestifer per plurimas terras longe lateque grassatur, catarrhus *epidemicus* et INFLUENZA vocatur. Huic causa externa contagium est, illi humiditas vel frigus (id est absentia caloris), vel potius frigoris et caloris vicissitudines subitæ. Pulmonem sæpe exasperant, et pneumoniam vel phthisin inducunt; venientibus igitur cito occurritur. Ubi catarrhum simplicem sensimus protinus abstinere cibo pleno, animali, et poculis irritantibus, afflictum dirigere debemus; quiete etiam uti. Aurea sententia est illa Celsi de hoc morbo; *Raroque fit, ut si biduo, vel certe triduo nobis temperavimus, id vitium non levetur.*

levetur. Differre sanguinis missionem, si signa inflammationis gravarent, periculum est. Raro tamen, si unquam, hanc curationem catarrhus *epidemicus* admittet, ob magnam debilitatem qua incipit febrisque speciem qua progreditur, sed remedia *tonica*, velut vinum et *cinchonam*, postulat. Ad tussim lævandam somnumque procreandum, nam haud læve tædium illis his morbis implicitis e vigilia oritur, opio, et etiam remediis quæ excreationem e pulmone promoveant, praecipue vaporis aquæ inspiratione et remediis vomitoriis lenibus, atque illis quæ fauces illiniant, utendum est. Ubi torpet vox, fauces externæ lana circumdandæ. Pedes in aqua tepida fovere hora somni, diluentibus et remediis quæ sudorem leniter eliciant uti, sæpe in catarrho simplici optimum est.

Pertussis morbus est magis inveterata magisque *convulsiva* tussi comitatus. Tussis cum intercapedinibus impetus facit, et in ejus accessionibus omnem expirationem, præter primam, inspiratio

spiratio cum clangore et sibilo stridulo facta antegreditur; facies turgida evadit et rubra, oculi scintillant, sanguis haud raro e naribus, oculis, et auribus erumpit, muci paululum e pulmone exscreatur, ventriculus ad vomitum cietur. Talibus signis vehementibus accedit sæpe convulsio, qua æger concidit, et sæpe in accessione tussis aliquod sustentaculum prehendit ni cadat. Nullam in se febrem habet pertussis, sed ubi vehemens est, inflammationem pulmonis, ideoque febrem, inducit. Pestifere semper grassatur, et propterea quod semel tantum per vitam aliquem afficiat, pueros maxime tentat; aliquando tamen homines adulti, vel robustissimi, eo laborant, ejusque accessiones male resistunt. Ubi febris in hoc morbo vehemens est, id malum est; et tunc sanguinis missione, purgatione, et epispasticis utendum est. Ubi impetibus ejus finem ponit vomitus, lenior semper est; natura igitur docet, et comprobat experientia, vomitum medicamentis lenibus et cito agentibus, velut *ipecacuanha* aut *syrupo scillæ maritimæ*, excitatum pro-

desse, ubi post tussim abest vel non multum prodest. Vix unquam expedita curatio est, sed diu plerumque sine periculo vel febre durat, et parum ei proficiunt medicamenta. Nunc amara et *tonica*, velut *cinchona*, præparationes ex ferro, et aquæ frigidæ, sunt tentanda.

Cynanche vel Angina cognoscatur ex impedita vel respiratione vel vorandi facultate, vel utraque, faucibusque simul plerumque, ubi in conspectum veniant, rubore et tumore, sæpe ulceribus, affectis. Cynanche *tonsillaris* est ubi maxime tument exulceranturque uva, tonsillæ, aliæque oris partes. Cum vehemens est, vix cibum devorare æger, vix potionem potest, potioque per nares remeat; os plerumque hiat, exeriturque lingua, adeo ut linguam canis sitientis imitatur. His accedit æstus atque sitis, aliæque febris ardentis notæ. Ex corpore frigori vel humiditati exposito, vel ex his faucibus applicatis quæ illas exasperent, hoc genus morbi oritur. Si febris maxime gravaret sanguis

e

e brachio mittendus est, ſed raro id postulatur, eique sat proficit sanguinem cucurbitulis vel hirudinibus ex faucibus externis detrahere, atque illis *epispasticum* adhibere. Si fauces vel cibum vel spiritum non capere possunt, præcidenda uva, incidendæque sunt tonsillæ. Vomitoria initio mor- exhibita sæpiſſime illum comprimunt. Purgationibus lenibus utendum est, gargarizandumque ex vino vel aceto aqua obtusis, vel infuso roſæ cui plus quam habet *acidi sulphurici* instillatur. Curationemque adjuvat vaporis aquæ inspiratio.

Alia species est cynanches quam *parotidæam* vocant, qua tument fauces externæ, cibusque multum impeditur. Vix tamen ad morbos respirationis pertinet.

Aſperam arteriam fere omnino afficit cynanche *trachealis*, habetque vocem raucam et cum strepore et stridore instar galli novi cantus redditam, tussim cum clangore factam, atque

spiritum cum difficultate ad intercapedines adductum. Membrana nova vias spiritus in hoc morbo occupat, et forsan signa ad intercapedines *spasmodice* revertentia exasperat. Infantes præcipue adoritur, et frigus illi est caufa. Auxilium est si ventriculus ad vomitum inter initia cogatur. Sanguis, si febris vehemens sit, detrahendus est, *epispastica* collo aplicanda, utendumque remediis *antispasmodicis*, præcipue *opio* atque *assa fœtida*.

Atque hæc quidem his morbis implicitis facienda sunt, sed longe alia illis qui illa specie, quam haud inepte Cynanchen *malignam* vocant, laborant. Ejus hæ notæ sunt; ulcera in faucibus adsunt quæ crustis mucosis coloris albi, vel cineritii, vel nigri, teguntur; febris cum pulsibus arteriarum parvis et debilibus et maxima virium prostratione urget; cutisque passim habet maculas floridas, quibus conjungentibus brevi tota rubet. Aliquando sine signis cynanches, sed cutis rubore solo progreditur et tunc

scarlatina

scarlatina vocatur; aliquandoque fauces afficiuntur, cutis non rubet. Cynanche maligna, ubi etiam cutem non afficit, a cyanche *tonsillari* dignoscatur facile, nam pestiferus morbus est illa, hæc nunquam; ſortem femineam, homines in teneris unguiculis, atque debilitatos, illa, hæc robustos et plenos, plerumque adoritur. Status febris diverſus est, et cynanche maligna in ejus insultu plerumque cum vomitu et alvi fluxu, et per totum morbum cum distillatione e naribus et ore liquoris exulcerantis, comitatur. In hac specie sanguinis detractio pessimos habet effectus, et raro morte caret, neque hoc neque quovis alio remedio debilitante utendum est, nisi si in novissimo caſu signa inflammationis gravissime urgerent, et illis nil succurrerent remedia mitiora. Prosunt autem medicamenta *tonica* et *antiseptica*, nempe *acidi*, vinum, et *cinchona*. Vomitu, sed inter initia solummodo, utendum est; gargarizandum est ex *decocto cinchonæ* vel *inſuso rosæ* cum *acido sulphurico*, *tinctura myrrhæ*, et similibus reprimentibus. Sed inter gargarizandum, et omni tempore, summo ope enititur, ni

æger

æger liquorem acrem, qui e naribus et faucibus distillat, devoret, nam in ventriculum receptus eum et totum tubum alimenti erodit, et vomitum atque alvi fluxum adeo sisti difficiles excitat, ut metus sit, et persæpe confirmatur, ne ægri, quibus morbus adhuc pepercerat, nimia exinanitione absumerentur. Conquiescendi et consistendi ſunt, ubi oriantur, *diluentibus*, *absorbentibus*, *opio*, et *astringentibus*. Perfusio corporis totius frequens cum aqua frigida omnium in hoc morbo eximium esse remedium decantatur; notitia ejus usus admodum nupera inter nos est, et in multis febribus cum optimo eventu usurpari vidi. Post hunc morbum cuticula plerumque squamatim removetur, et ei, ubi male occuritur, succedit aqua intercus.

Morbus is qui ex inflammatione pulmonis vel membranæ ei finitimæ gignitur, PNEUMONIA vocatur. Eumque in duos morbos, prout hanc vel illum affici putaverint, diducunt, sed non omnino recte ut mea fert opinio, quippe vix unquam

quam separatim existunt, raro dignosci possunt, et iisdem remediis, pro gravitate signorum exhibita, ambobus medetur. Notæ sunt febris plerumque ardens, dolor in aliqua thoracis parte, tussis quæ multum sputum exscreat, aliquando etiam cruentum, (sed nullum fere initio morbi exscreat), spiritus cum molestia, difficultate, et celeritate, adductus. Easdem causas ac catarrhus simplex habet, idque inducunt alii respirationis, vel partium diversarum corporis, morbi; robusti et pleni ei maxime patent. Delirium in hoc morbo pro signo mortis inevitabilis apud plerosque auctores haberi invenio, id tamen adesse inter ejus initia vidi, atque gradatim, ac morbo occursum est, recedere. Huic morbo, qui in insultu et processu tam terribilis est, non raro nobis in sanguine confestim et sine ulla mora misso remedium certissimum est. Ergo ut primum is ipse aliquem invasit, ac cognoscatur, oportet, nisi quid maxime prohibeat, incisa vena vulnere amplo, sanguinem confidenter detrahere, proque viribus ægrotantis ac

morbi

morbi gravitate ejus fluxum sinere, et iterum iterumque, donec vires ægrotantis patiantur morbusque gravet, idem repetere. Nonnulli tamen potius purgationi curationem fidunt; futili scilicet hac impulsi causa, ne sanguinis nimia profusio vires exhauriret. Inane sed id est, nimisque lentum præsidium in morbo tam præcipiti expeditum efficaxque poscente remedium. Quin et detrimenta quæ ex hac profusione accipiant ægri nunquam tam atrocia sunt quam commoda quæ ei consequuntur sunt magna, et nullos morbos hoc insidiosiores inducere potest. Sed habet etiam purgatio lenis sua haud spernenda commoda. In aëre neque frigido neque admodum calido æger retinendus est, cibus et potiones irritantes circumcidenda, adhibendaque, post febrem sanguinis missione diminutam, *epispastica* parti dolenti. Remedia quæ *expectorantia* vocantur, præcipue, si ægro non molestiæ sit, vaporis aquæ inspiratio, et *opium*, signis inflammationis vehementibus mitigatis, danda.

Non

citatur, dum cor ejus vehementer palpitat. Ex vasis extremis pulmonis suum humorem nimio plus quam solent effundentibus, vel vasis absorbentibus suo officio nimis segniter fungentibus, hic morbus oriri solet. Sæpissime afflictis subito exitio est, nonnunquam tamen ad tempus, brevius aut longius, remediis effusionem e vasis minuentibus, aut absorbentia ad actionem moventibus, præsertim illis ex hydrargyro præparatis cum squilla exhibitis, *digitali*, et aliis *diureticis*, *cathariticis*, vel *sudorificis*, curatur. Aliquando etiam si firmum sit corpus, si juvenile, roborantibus post hæc usurpatis, non redibit.

Asthma est morbus quo spirandi difficultas vehementissima modo revertitur, modo omnino abest. Ubi ejus impetus facit, spirare æger sine sono et anhelatione non potest; spiritus ne nisi corpore erecto trahatur, et propter angustias per quas aër evadit, sibilum elidit. Incipiunt plerumque hi impetus media nocte, et per aliquot dies durant, per diem tamen mitiores, et terminant plerumque cum tussi et exscreatione copiosa.

copiosa. Tunc intercapedines habet per menses, et aliquando per annum totum, sæpe tamen breviores. Consequens erit hunc morbum oriri a spasmo fibras musculosas asperæ arteriæ et musculos respirationis magnos afficiente, si animadvertimus quod ille, perinde ac alii morbi *spastici* dicti, ex causis levibus ad intervalla excitetur, remediis iisdem occurratur, et urinæ limpidæ rejectione comitatur. Hujus morbi in diversis ægrotantibus aliæ atque aliæ sunt proprietates, quæ omnes ideo sunt notandæ, quoniam aliæ aliter curationi ejus vel faveant vel adversent. Modo cælum agreste, serenum, mephitibus liberum, modo urbanum, crassum, fumis et mephitibus onustum, requirit; modo, et plerumque, aëra humidum, refrigeratum, modo tamen siccum, calidum; modo denique lenior est si cibo ventriculus plenus sit, plerumque tamen hoc vel minime distento ejus impetus inducuntur, aut, antea instantes, maxime gravantur. Raro ex se exitio est hic morbus, visu tam horribilis, impetu quasi suffocaturus; sed

multorum

multorum lethiferorum morborum, ut hydropum, phthisios (si corpus antea phthisi patet), et aliorum fundamentum jacet. Vix illi tamen medentur remedia ulla, præcipue ubi a parentibus in prolem, nam hæredetarius morbus est, transivisset. Impetus ejus missio sanguinis multum mitigat; sed multa vetant ut hoc pro remedio sæpe præscribatur, quantum enim cunque idoneum morbo levamen prosit, et ægris qui ejus levaminis antea sæpius quam rectius essent experti, expetatur, certissime illis frequenter nocet. In prima morbi tentatione, dum laborantes robusti sint, (et robustos et plenos maxime tentat), felices edit eventus, sed postea repetita habitudini corporis ad plenitudinem, non raro hujus morbi auctorem, impulsorem, et socium, proclivitati ad hydropes, et debilitati favet. Siquidem præcipiti ac gravissimo movetur impetu æger, adeoque vehementi ut si non resolvitur, et aliis remediis nil sopiri potest, eum suffocaret, sanguis parce detrahendus sit; prorsus enim præstare videtur, præsenti mortis periculo

periculo ægrum eripere, quam morbo superato perire sinere, utcunque vires affligantur. Alios asthmaticos *epispastica* juvant, aliis, propterea quod stricturæ in pectore sensum augent, non ferantur. Alvus, ut minus pressionis in transversum septum fuerit, leniter soluta habenda est; ventriculus, ubi ex distentione nimia gravat, ad vomendum cogendus. Natura morbi pariter docet, et experientia comprobavit, haud parum curationem adjuvare remedia quæ *antispasmodica* vocari solent. *Opium*, omnium hujus generis remediorum validissimum, dosibus apprime amplis, medicamenta *fœtida*, *æther sulphuricus*, idemque cum *alcohole*, *alcohol ammoniatum*, et similia, impetus ejus vel instantes arcent, vel præsentes solvunt, vel saltem minuunt et temperant. Morbo absente remedia corroborantia, ut *cinchona*, præparata ex ferro, aquæ frigidæ, et exercitatio lenis, nempe ambulationis subdialis vel gestationis, ejus reversum diu protrahant.

Animadversis

Non omni tamen pneumoniæ statu est hæc curatio servanda. Nam ubi exhaustos et senes adoritur, et signis inflammationis gravioribus caret, sanguinis detractio non solum periculo erit, sed plerumque ægroto morti citæ. Hunc statum *peripneumoniam notham* appellant, quam cum maxima diffidentia tractare conabor, quoniam anceps sit an magis mirandum an dolendum est quod omnes auctores medicos in descriptione ejus notarum adeo discrepare invenimus, ut alius longe alium ab altero describere morbum sub eodem nomine viderentur. Tussis in eo dolentissima est, spiritus difficilis; multum pituitæ in pulmonibus retineri videtur, quam exscreare frustra plerumque conatur æger; dolor in pectore adest obtusus, cubare molestum eſt, caput dolet, et in habitibus corporis supra positis nascitur. Effectus est pneumoniæ vel catarrhi, et a statu debilitato vasorum minimorum pulmonis, cujus consequentia est proclivitas eorum ad humorem effundendum. Sanguinis missio, ubi adest, vel adesse suspicetur,

(nam effusioni favet), fugienda est. Curationem autem ejus adjuvant *epispasticæ*, inspiratio vaporis aquæ, vomitoria lenia, *opium*.

Phthisis Pulmonalis miserrimum genus morbi est, qui plurimam primævo flore juventutem extra omnem medicinæ opem brevi ponit, et tardo sed præmaturo fato rapit. Tabes est non solum pulmonis sed et totius corporis, et cum febre *hectica*, prostratione virium summa, tussi, et expectoratione puris, cursum conficit. Plerumque ex tuberculis in pulmone nascitur, quæ exasperant pneumonia, catarrhus, aliique bene multi morbi; et pulmones illis opportunos cumplurimum reddit scrofula hæreditaria. Illis huic morbo opportunis, vel illo implicitis, evitanda sunt frigus, humiditas, exercitatio, et omnia irritantia. Multa quoque remedia in hoc morbo proposita fuissent, quorum plurima, in morbo qui vix unquam (res horribilis relatu!) curari potest, ad εὐθανασίαν producendam inserviunt. De his ta-

men

men silere melius puto quam parum dicere, quoniam plene in orbem hujus dissertationis incidere non possint, et aliis properare tempus monet.

Prius forsan de HÆMOPTYSI, seu sanguinis e pulmone rejectione, dixissem, quam ulla de phthisi verba feci, nam tam sæpe hujus effectus est ut Cullen multarum rerum, quas ipsi secuti sumus, auctorem optimum, induxerit illam hujus sequelam ponere. Apud omnes medicos tamen ex confesso est phthisin non semper hæmoptysi præcedi, et certum est quod diu sæpe sævit hæmoptysis et phthisis non sequitur. Solet in hoc morbo sanguis spumans et floridus e pulmone tussicula expui, fauces prurire, spiritum difficile adduci, pectus sensu anxietatis vel doloris, et caloris affici. Juvenes, plenos, et illos thorace deformatos, maxime exercet. Periculum maximum minitare videtur, sed raro eos illo implicitos mortem occumbere facit; nam plerumque sponte, vel medicamentis cedit. Interdum tamen corpus exinanitione absumit, vel phthisin pulmonalem inducit. Inter ejus initia,

præcipue

præcipue si plenum corpus sit, sanguis educendus est, sed dejectis viribus hoc nocet. Exercitatione ex toto, præcipue omni qua afficitur pulmo, abstinendum est, sed in lenioribus casibus proficiant equitatio et navigatio. Utilia remedia refrigerantia (præsertim *acidum sulphuricum*), *opiata*, præparata ex ferro, quies, et abstinentia sunt.

Si quando humor in cellis pulmonis aut ullis pectoris cavis magna copia accumuletur, diram signorum cohortem gignit, quæ HYDROTHORAX designatur. Ei hæc communia sunt; respiratio apprime difficilis existit, facies inter ejus initia pallida evadit, sed, cum per ullum tempus duraverit morbus, livida, (sanguine nigro, nam debitas mutationes in pulmone subire non potest, illic congesto ob ejus in cor transitum difficilem), fit; pedes, præsertim sub noctem, et sæpe aliæ corporis partes, tument ex aqua; æger sæpe obdormiscit, nunquam tamen somno arcto fruitur, sed subito et quasi sponte ſua propter somnia horrifica e somno excitatur,

Animadversis hactenus generatim omnibus quæ ad morbos a statibus morbidis partium respirationis actionibus inserventium orientes pertinent, proxime quasdam observationes desiderant morbi qui ab aëre e pulmone omnino excluso aut mephitibus onusto inspirato, originem trahunt, quique respirationem impediant.

Refspiramen iterque animæ ex variis causis præter has supra positas impediatur, et tunc vix aliter fieri potest quin perbrevi mors aderit; sed si auxilium maturissime adhibeatur nonnullæ hominem ad fe restituendi spes sint. Hi morbi varie auctoribus pro causa denominantur, sed nostro proposito sat erit strangulationem et suffocationem enumerare. Abunde fabularum vix aut ne vix credibilium decantatur de iis, qui, postquam aqua per longum horæ spatium submersi fuissent, vitæ fuerint restituti. Quanquam hujusmodi exemplis vel fictis vel non debita accuratione relatis nil fidendum est, tamen

refutationi illorum nihil boni sit, dummodo nos vitam perituram servare ad conandum magis hortantur. Post strangulationem jam nunc factam auxilium forsan fuerit sanguinem detrahere, incisa vena jugulari. Corpore in aqua submerso, ad frictionem ejus omnibus vestibus exuti, quippe quæ sanguinis cursum ad vasa superficiei solicitet, lana aut manibus nudis, et ad alios modos calorem naturalem instaurandi, confugiendum est. In utroque casu in conclave quam maximum affertur corpus, et turba hominum ingredi prohibetur; oportet *gas* respirationi commodum, velut aëra æthereum, vel *gas* minorem *azoti* portionem habens, et præ omnibus *gas exhilarans*, seu *oxydum azoti gaseosum*, in pulmonem folle duplice, vel alio instrumento quod sub manu sit et ad idem quadret, impellere, et illud impurum redditum vicissim extrahere; dum congruenter cum ejus impulsione et expulsione motus respirationis, manibus ad thoracem adhibitis, imitandi sunt. Proderit etiam, si ullum prodesse possit, cor ad motum movere suc-

cussibus

cussibus *electricitatis* vel *galvanismi* per ejus regionem immissis. Talibus remediis periturum ab interitu præmaturo retrahamus, et dum ullæ supersint tam jucundum efficiendi, utcunque minimae spes, nemo a conatibus, nisi qui hominis crudelis officio satis faciat, desistet.

Sequitur nunc ut effectus aëris mephitibus onusti explicem; nequaquam tamen faciam, ut enumerem omnes hujuscemodi affectiones, quae fere innumerae, sed cumprimis appropinquae sunt. Frequentissima omnium ea eſt qua aër *gase acido carbonico* refertus inspiratur, quod carbone incendente, fermentatione vegetabili, vel mutationibus quibusdam *chemicis* subterraneis, exoriatur. Raro sed mortem subito hoc inducit; sed si ulla restat vitae scintilla, aëra purum adhibendo, aut, ut commodo canibus in spelunca propter Neapolim (*grotto del cani* Itali vocant) suffocatis fieri dicitur, corpus instanter aqua frigida immergendo, excitetur. Germani et Russi saepe exponi huic *gasi* a carbone incendente

extricato,

extricato, et aëra purum corpusque nive refrigeratum optima invenire remedia, feruntur.

Quinetiam aër ipse alias bene multas subit mutationes, ut magis aut minus peccans in quantitate *gasis azotici*, vel aliis mephitibus onustus, aut peccans in ejus gravitate, quanquam multo minus in corpus humanum pollent ejus dotes *mechanicæ*, quam olim medici ſibimet persuasere. De illis tamen neque limites, neque propositum, hujus operis, aut sinunt, aut postulant, ut agatur.

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.